



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Helluo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

*De Scince
ibid. Plin. &
Diosc. lib. 2
c. 9. qui scin-
gū nominat
σκινγού,
& ibi Mar-
tialis.*
ERat & salacitatis indicium, ut ipsi dicunt Ægyptii: propterea quod abundantia foetura prolifici sunt Crocodili, libidinisque usque adeo contagiosa, ut à dextera eorum maxilla dentes lacerto dextero alligati, nequitiam credantur stimulare. Terrestris porro Crocodili, quem Scincum, ut alii, Scingum appellant, rostrum & pedes in albo vino poti, lascivix cupiditates accedere apud magis scriptores legas, & huiusmodi quædam apud Dioscoridem & Plinium.

FUROR. CAP. VIII.

Furorem ad hæc Ægyptii, & quæ inde calamitas aut clades accepta esset per Crocodilum semetipsum verberantem indicabant: propterea quod is irrita prædæ cujuspiam spe frustratus, in semetipsum furit, supra modum indignabundus.

LATROCINIUM. CAP. IX.

*Typhon in
Crocodilū.*
NEGotiorum impedimenta, insidiasque & latrocinia, quæ contra viatores exercentur, per idem animal etiam ostentabant. Et Typhonem, quem *βοκαίωνα* dicunt, in Crocodilum ablitte afferabant: tamen nonnulli Typhonis comitem ponant. Crocodilus autem assidue negotiatoribus insidiatur, quo genere latrocinii Typhonem infamam tradunt: Quapropter cum illi honores omnino decreti essent, ex mansuetis animalibus Asinum illi nutriebant, ex feris vero Crocodilum & fluviale Equum. Institutum enim erat apud eos, quibusdam Diis, ne nocerent tantum sacralicere: atque ita quo magis illos sibi conciliarent, animalia ejusdem ingenii, quo illos fuisse persuasum habebat, colere consueverant. In Apollinis vero civitate, quo injurias à Typhone Osiridis illatas susceperentur, de Crocodilo vesci lege singuli tenebantur. Certo igitur die convenari solebant, & quot quot caperent, interfectos eos ante templum, rei à se bene gestæ monumentum testimoniumque prosternebant.

HELLUO. CAP. X.

*Crocodilus
voracissi-
mus.
Plin. ibid.*
Idem sacerdotes helluonem significantes Crocodilum hianti ore pingebant: is enim cibo satur, quem immodice sumit, somno sopitus in littore se prosternit & sculento semper ore, ad quem aviculæ trochili, quæ Senatores & Reguli dicuntur, pabuli se gratia conferunt, involantesque dentes depurgant, atque ita magis & magis ad potentiores hiatum scabendi dulcedine provocant, quod Ichneumon perpetuus ejus hostis, si quando fuerit conspicatus, saltu se in guttur ejus immitit, introque progressus, donec fero cor morfu lancinet, moribundam mox feram derelinquens abit incolumis. Alii crapulam ideo significari per Crocodilum tradunt: propterea quod is meatu careat, per quem ciborum excrementa dejecti soleant, quare eadem mox digesta & indigesta per os rejicere necesse habet, quæ mox aves advolantes depascantur: perinde ac qui præter fatietatem nimio fariuntur cibo, cum digerere ipsi non possunt, evomere coguntur. Qui vero cultui habitus à sacerdotibus neriebantur, tanta erant mansuetudine, ut non modo vocem accerferentium agnoscerent, & attrahere paterentur, verum etiam fauces adaperas porrigerent, dentesque manibus depurgari, abitergij linteo permitterent.

AB IGNOBILI GENERE AD CLARITATEM EVECTUS.

CAP. XI.

*Plin. eadem
eod. lib. 29.
c. 8.*
COMMENTI sunt nonnulli, hominem, qui nulla sanguinis claritate, minimisque principiis ad amplissimas, celeberrimasque dignitates, ad opes, ad honores evectus esset, per Crocodilum & ovum ejus pingere. Illud enim de Crocodilo fertur, nullam animal à tam pravis initiis, in tantam excrescere magnitudinem. Ovum enim non multo majus edit quam Anseris, & fetus inde inclusus pro portione est: attamen ad cubita usque quindecim, vel etiam sexdecim crescendo porrigitur. Sunt qui eos tamdiu augeri asserant, quamdiu vivunt. Facit ad hoc Æsopica fabella non illapida de Crocodilo, generis nobilitatem, & sua & antiquorum præclara facinora apud Vulpem extollente: cui argute, illa responderit, ex cute vetus ejus ac diuturnum exercitum, vel eo tacente, prodire.